



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

19. De præstantia, & proprietatibus sinceri zeli honoris Dei, & salutis
animaru[m]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

ria esse desiderat, in hoc magnum conformandi se semper & in omnibus diuinæ voluntati exercitium totus incumbat. Zelus frequentandi perfecta resignationis exercitium.

XIX. *De prestantia, & proprietatibus sinceri zeli honoris Dei, & salutis animarum.*

I. **E**Xpende quam nobilis partus charitatis & religionis sit hic zelus, qui est incensus affectus sinceri amatoris, quo diuini honoris, & animarum salutis propagationem impense querit, & quicquid his aduersatur, fortiter, constanterq; repellit: Quam gratum sit Deo sacrificium, in quo verus zelator seipsum in holocaustum igne amoris concremandum immolat, de quo D. Gregorius: *Nullum omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum: Quam peculiare sit diuine largitatis donum, quod ijs potissimum in excellenti gradu communicat, quos ad munus Apostolicum vocat. Quid enim sublimius in hoc mundo esse potest, quam esse cooperatorem Filij Dei, in promouenda gloria æterni Patris, & procuranda hominum perfectione & sa-*

*Hom. 12.
in Ezech.*

& salute? Si ergo iuxta D. Dionysium, *De cael.*
 diuinorum omnium diuinissimum est *Hierarch.*
 cooperari Deo in conuersione anima- *c. 3.*
 rum, quanto feruore huic tantæ gra-
 tiæ tam sublimis vocationis erit coo-
 perandum? Feruor proficiendi in ze-
 lo animarum.

II. Qualis debeat esse hic zelus vt
 Deo perfectè placeat, videlicet, *Rectus,*
Magnus, Fortis. *Rectus* erit 1. si proce-
 dat ex amore amicitiaë, non ex amore
 concupiscentiaë, seu si purè intendat
 diuinum honorem & obsequium, non
 propriam gloriam & emolumentum,
 iuxta exemplar Christi, qui ait: *Non* *Ioh. 8.*
quero gloriam meam. 2. Si ordinatus
 sit in procurando prius proprio, quam
 alieno profectu in via triplicis perfe-
 ctionis, exemplo Christi, qui cœpit
 prius facere, quam docere. 3. Si sit dis-
 cretus, sic impendendo se lucro ani-
 marum, vt propria non patiatur detri-
 mentum. *Quid enim prodest homini, si* *Matt. 16.*
uniuersum mundum lucretur, anima ve-
rò sua detrimentum patiatur? *Magnus* e-
 rit extensiuè, si se ad omnes homines,
 pauperes æquè ac diuites, nobiles &
 ignobiles, notos & ignotos diffundat;
 ad omnia media proximos iuuandi
 quantumuis ardua, laboriosa, abiecta,

amplectenda promptè se offerat, ad omnes occasiones animas lucrandi aduigilet, idque insatiabiliter tota vita. *Magnus* intensiue, si optimo modo, quoad intentionis puritatem, intellectus attentione, voluntatis promptitudinem, omnium virium debitam applicationem, cum heroicis desiderijs multò plura magisque ardua pro gloria Dei & salute animarum faciendi & patiendi exerceantur. *Fortis* erit, si nec laborum in huius zeli exercitijs subeundorum multitudine & grauitate; nec hominum conuertendorum pertinacia & ingratitude; nec desolationum, oblocutionum, persecutionum, periculorũ varietate & atrocitate, nec demum horrore mortis impius, quantumuis acerbissimæ se impediri, multò minus obrui sinat. Talis zelus illius sit oportet, qui & nomen, & meritum veri zelatoris habere desiderat. Desiderium ad culmen tam perfecti zeli feruenter contendendi.

III. Quàm perfectè has omnes conditiones habuerit zelus Apostolorum, & tot Apostolicorum virorum inexplebili siti diuinæ gloriæ & salutis animarum iugiter æstuantium, & cum Apostolo medullitus exclamantium:

Cha-

Charitas Christi urget nos. Quanto perfectius easdem habuerit zelus Christi Domini, ex hoc eodem zelo tam mirificientis, tam dira patientis? Feruor hunc zelum imitandi.

De Fundamentis huius perfecti zeli.

XX.

AD zelum hunc vehementius inflammandum, expende præcipua eius fundamenta, quæ sunt infinita diuinæ Maiestatis sublimitas; maxima animarum dignitas, inæstimabilis Dei erga easdem charitas.

1. Ergo expende quanta sit sublimitas diuinæ Maiestatis, magnificentiæ, potentia, sapientiæ, beneficiæ, aliarumque perfectionum, ob quas infinito honore, amore, cultu, obsequio est dignissimus, quæ nullo potest creato intellectu apprehendi, cum sit vndequaq; infinita, immensurabilis, incomparabilis, interminabilis, incomprehensibilis: Hanc si vel semel liceret clarè intueri, nunquam liberet, nunquam liceret ab ea iugiter suspicienda, laudanda, amanda, glorificanda vel ad momentum cessare. Hoc experiuntur Beati, cœlestis patriæ incolæ, clarè intuentes facie ad faciem, quod nos per speculum & in ænigmate obscure